



ANNUENTE GRATIA DIVINA,  
NOBILIUM QVÆ-  
STIONUM PHILOSO-  
PHICARUM  
DECAS VI.

*Quam,*

In illustri Academiâ Vitebergensi,  
PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO  
Philosophiæ Moralis Prof. publico  
*defendam suscipiet*  
FRIDERICUS LYSERUS  
Brunopolitanus.

Ad diem 10. August. horis locoque consuetis.

*Scal. lib. 1. de Plant. pag. 22.*

Nil deformius Philosopho: qui ab signis discedens à veritate  
imperatrice nostrâ, notatur ignominia.

---

VVITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Anno M. DC. VIII.



NO. 11  
DECEMBER 1800  
BRUNNEN  
FRIDRICH L. S. 11  
BRUNNEN







## QVÆSTIO I.

An cujuslibet artis finis ita comparatus  
esse debeat, ut ab eâ certò præ-  
stari possit?

**R**O utrâque parte quæstionis  
hujus rationes sunt in promptu. Pro  
affirmante quidem. I. Si finis alicujus  
artis ab eâ præstari non posset, sequeretur,  
media, quæ in illâ traduntur, non esse  
vera aut saltem non sufficientia. At qui  
hoc à nativâ & germanâ artis indole atq;  
naturâ, si non est alienum; quid ab eâ unquam alienum esse po-  
test? II. Finis artis non debet esse in incerto eventu positus,  
nec aliundè, quàm à medijs, quæ ars præscribit, pendere. III.  
Quia qualibet ars debet sufficienter tradere media ad finem  
consequendum suum necessaria. Et si hoc; quomodo ars finem  
suum non certò præstaret? Pro negante autem: I. Obje-  
ctum artis sunt τὰ ἐνδεχόμενα, ἢ εἴηαι ἢ μὴ εἴηαι, hoc est, res  
contingentes, quæ aliquam mutationem admittere possunt, cum  
artificis sit materiae subjectæ aliam inducere formam. Arist. 6.  
Nicom. cap. 4. II. Ars cum fortunâ magnam habet cognatio-  
nem, à quâ etiam interdum multum juvatur, vel impeditur: si-  
quidem τὴν τύχην τὸ χυρὸν ἐπερῆε, ἢ τὴν τύχην τὴν χυρὸν, uti Agathon dice-  
bat: Unde etiam artifices interdum fortunati vel infortunati ap-  
pellantur, quod alij alijs in operando sint feliciores. Arist. lib. d.

A 2

III. Li-



III. Liqueat hoc exemplorum inductione. 2. Medicinae finis est sanitas; sed tamen ut habet Poëta:

Non est in Medico semper relevetur ut æger,  
Interdum doctâ plus valet arte malum.

2. Ethicæ finis est, ut ratio præsit, appetitus obtemperet: at multi, qui Ethicam jam studiose addidicerunt, vident meliora probantque.

Deteriora sequuntur. 3. Rhetoricæ finis est persuadere, secundum Ciceronem ad Herennium; nec tamen hic oratorum princeps elegantissimâ illâ pro Milone oratione iudicibus persuadere potuit, ut Milonem cædæ reum absolverent. Pro decisione quaestionis duplex notanda distinctio: 1. Inter artes æquibæ hæc soxαστασ. Illarum quidem finis semper ab ijs præstari potest, harum non item. Ex Platone. 2. Inter artem consideratam vel respectu suæ formæ, vel subiectæ materiæ. Respectu formæ, ars quatenus est habitus διανοητικός rectâ ratione nitens & universalis, animum nostrum sic instituit, ut semper suo scopo satisfaciat, neq; à fortunâ impediri possit. Et sic in artem, quatenus ars est, fortuna non cadit. Respectu subiectæ particularis materiæ, quæ inconstans est & varia, sæpius fortunam admittit. Et proinde cum in artem fortuna cadat non habitus vitio; sed subiecti culpa: ut habitus nostrâ industriâ acquirendus est, ita optandum, tale subiectum nobis dari, in quo artem fortuita materiæ dispositio, quam minimum impediat. Et hoc si qua in aliâ arte, in Medicina potissimum. Zvingerus in tabulis Eth. Nicom. lib. 6. cap. 4. pag. 379. Conferatur Timplerus in Technol. cap. 2. probl. 4.

## QVÆSTIO II.

Quomodo genus suis speciebus sit  
essentiale?

Certum.



Certum quidem est, Porphyrium Christiana religionis im-  
 pudentissimum fuisse desertorem & oppugnatorem teste Suidâ &  
 Hieron: in epist: ad Gal: & August: lib 19 de civitate Dei  
 cap. 23. Isagogen tamen ejus, absit ut è Logicorum scholis ex-  
 terminemus cum Romanis, ut nec etiam ipsa predicamenta. Ex  
 disput. præced. 2. quaest. Plurimas tamen hinc quaestiones, quæ  
 de predicabilibus in genere moveri solent (U. G. Num univer-  
 salia sint aliquid extra intellectum: Num predicabilia rectè di-  
 cantur universalis: Num ad quinque predicabilia omnes omninò  
 predicationes referri queant: Num præter eas non sint plures ter-  
 mini simplices: Num eorum tractatio sit categoricus præmittens  
 da: Quis ordo in enumeratione præjudicabilium tenendus: &c.)  
 hic consultò præcidemus: & certorum duntaxat predicabilium  
 naturam indolem certis quaestionibus hinc vice paucis attingemus.  
 Quo nomine non immeritò primò queritur; Quomodo genus  
 speciebus suis sit essentialis? Et quidem constat inter omnes haut  
 pallentis fame Logicos, genus speciebus suis ita esse essentialis, ut  
 ijs omnem suam essentialitatem ac naturam, quam in sese habet  
 ijs largiatur: adeoque nihil insit in genere, quod ipsum quan-  
 tum quantum est, genus non communicet & largiatur singulis  
 omninò suis speciebus. Totum id, quod est in genere, inquit  
 Kecker. lib. 1. Syst. Log. cap. 3. pag. 53, æqualiter communi-  
 catur speciebus, ita ut nihil de genere dici possit, quin idem de qua-  
 vis specie dici necesse sit. Et: Maxime pertinet ad naturam generis,  
 ita ut quanto rectius atque æqualius se suis speciebus communi-  
 cat, tanto ad veri generis naturam accedat propius. Ibid. Atque  
 hæc quidem omnia verissima esse, licet apud omnes in confesso sit:  
 interim hæc limitationes hic accuratè observare, non fortè  
 erit supervacaneum. I. Genus non est ita speciebus essentialis  
 sicut membra integro, ut videlicet largiatur speciebus omnem es-  
 sentialitatem, quam ipsa species habent: verum omnem & totam essentialitatem,  
 quam ipsum genus habet; adeo ut nihil sit in genere, quod non sit



totum in singulis speciebus, cum interim aliquid sit in singulis speciebus, quod plane in genere non est, nempe præstantissima essentia ipsarum specierum pars, quæ est forma singularium rerum, propria, quæ sunt id ipsum quod sunt: item, quæ à se invicem & à genere differunt, ut hæc ratione plus insit in specie quàm in genere. Snell. in Log. Ram. lib. 1. cap. 28. pag. 320. & in animadv. pag. 520. II. Quicquid generi inest actu, inest etiam speciei. Non quicquid generi inest potentiâ, etiam speciei inest. U. G. Differentiæ divisivæ insunt generi potentiâ, (ut rationale & irrationale animali) & proinde speciei non simul insunt. Gocl: part. 2. probl. Log. probl. 21. pag. 67. III. Genus ipsum suis speciebus actu inest, licet ipsi, quæ in speciebus sit determinatio, tantum *δυνάμει* inesse dicatur. Genus enim, quâ genus semper manet indeterminatum, & per differentias determinabile Kecker. l. d. Quod igitur Averroes dicit Comment. 42. & 43. super 7. Metaph. genus potentiâ inesse speciebus, intelligi debet, de potentiâ indeterminationis seu imperfectionis, non autem potentiâ essendi, ut rectè declarat Zabarel. lib. de facult. animæ cap. 5. Et tantum de hæc questione; queramus ulterius.

### QVÆSTIO III.

An propria possint communicari?

Pro negativa depugnare video duos conjunctos exercitus; Unum eorum, qui sub Ignatij Lojolæ; Alterum, qui sub Zvvinglij (uterque enim miles est, Osiander in Epit. Hist. Eccles. Cent. 16. lib. 3. cap. 23. pag. 643. Sleidanus lib. 8. de Relig. & Repub. lib. 8. pag. 221.) vexillo merent. (Ecce vulpeculas Samsonis, quæ ut maximè capitibus dissident, caudis sunt conjunctissimæ. O istud par nobile fratrum!) Helena, quâ pro in arenam descenditur, est tua fili DE I atque hominis,  
IESU



IESU CHRISTE, cui data est omnis potestas in caelo & in terra. Matth. 28. 9. 18. in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter Col. 2. 9. & c. majestas & omnipotentia, quam maleferiata ista & misera colluvies audacter imminuere, contemptim affigere, & ambitiosè deludere & circumludere satagit. Ne verò ancipiti gressu cum hisce juratis filij DEI hostibus congrediamur, prius ambiguitatum quarundam tenebras dispellemus, ut illud, de quo maximè decertatur, cuius in claro esse possit. Proinde. I. non hinc in quaestione est illa communicationis ratio, quâ δὸς ἐνεργητικῆς aliquid alicui concedatur. E. G. DEVS non communicat nobiscum, ut cum suis creaturis, suam sapientiam aut potentiam; sed nobis tribuit pro capite nostro & modo, similem aliquam & adumbratam essentialis illius sapientiae & potentiae; quae scilicet inter se differunt, ut lux & lumen. Ipsa divina perfectionis lux non exit ab immenso illo Sole; sed lumen & radij quidam sparsi communicari intelliguntur, hoc est, lux est Solis in aere: sic nostra sapientia & potentia est DEI effectum. Gocl: in controu. Log. 169. 175. Tainpl. lib. 2. Metaphys. cap. 9. probl. 4. 2. Utrinque & hoc conceditur, Proprium non esse incommunicabile, si explicatur respectu eorum, quae sunt ejusdem generis seu naturae. Scheckius 5. Top. lib. 2. Gocl, lib. 1. Instit. pag. 163. Quibus enim generis ejusdem communicatio, illis etiam affectus generici communes erunt, ad stipulante Scaligero, dum ἰδιον, quod ab essentiâ fluit, in singulis speciebus recludit. Exerc. 178. sect. 5. Et notum est ejusdem axioma: Genus univocum aequaliter communicat suam essentiam speciebus Exerc. 18. Quo accerso & illud Philosophi: Eorundem specie idem (ratione illius speciei) proprium esse. 5. Top. lib. 21. pag. 658. 3. Sic & apud omnes in confesso est, proprium esse communicabile respectu mixtorum, quae miscibilium essentiam recipiunt. Scal. lib. 4. de caus. L. L. cap. 80. Zabarel. l. de calore caelesti



lest. cap. 11. 4. Tandem & in eo convenimus, quod & partium propria toti seu composito non sint incommunicabilia. U. G. *Letitia primò tribuitur animæ; Est enim motus animæ intelligentis & appetentis rem suavem, sicuti patet ex Scal: Exercit. 317. sect. 1. & tamen toti tribuitur homini. Vide Taurell. l. 3. Casalp. quæst. 1.* Atque hæc utrinque, ut dixi, extra controversiam sunt posita; illud propriè in quæstione est, an proprium sit incommunicabile, si illa communicatio fiat per *συνδυασµόν*, hoc est, per intimâ subjectorum unionem, seu *ένωσιν*, secundum tres hæc leges. 1. Ut proprii subjectum, cui tanquam *πρώτων δεικνύω* inest, cum illo uniat, cui communicari debet. 2. Ut mutua actionis & passionis principia sunt in utroque, scilicet *ut unum in alterum agere, alterum verò ab illo actionem istam accipere possit.* 3. Ut communicatio illa *συνδυασµός* quâdam; non autem *μετοχή* fiat: *Nihil enim alteri ita communicari potest, ut definitio & ratio rei de altero essentialiter predicari queat.* U. G. *Vis urendi & lucendi, quæ est ignis propria, cum ferro communicatur, ita ut ferrum cum igne conjunctum, simul luceat & urat. Ferrum enim habet hanc potentiam, ut ignis tanquam præstantius corpus in illud agat, & ferrum ab eo pati possit. Tum deniq; est quâdam unio accidentalis inter ignem tanquam *πρώτων δεικνύω* & ferrum tanquam *δεικνύω δευτέρων.* Tertio denique est hæc communicatio *συνδυασµός* quâdam; non autem *μετοχή*: nam definitio ignis & lucis de ferro non predicatur.* Atque statu quæstionis ita conformato, pro negativâ perduelles isti & inermes divinæ majestatis oppugnatores, hæc jam signa canunt. 1. *Attributa ista, Omnipotentia, Omnipræsentia, &c. sunt divinitatis propria. Omne autem hujusmodi proprium *ἀκρίτως*, *ἀδύνατον* enim plurimum esse proprium.* 5. *Top. lib. 4. Fieri non potest, ut *πρώτων*, seu primum pluribus communicabile fiat proprium, Scheck. 5. Top. p. 77. *ἀδύνατον ut proprium transmi-*  
gret de*



gret de subjecto in subjectum. Zabarel. lib. 2. de gen. cap. 7.  
& 8. Tolet. 2. de gen. cap. 4. quæst. 4. & 14. Gocl. in con-  
trov. Log. part. 1. pag. 101. II. Non ipsæ ignis proprietates  
ferro communicantur; sed effectus quidam, videlicet  
novus calor in ferro producitur. Timpl. lib. 3. Metaphys.  
cap. 3. quæst. 11. & 14. Et Goclenius inquit in contro. Log.  
pag. 99. ἐνέργεια, quas anima extra se exercet & profert, sunt si-  
militer utriusque nature: anima quidem ὁμοίως, principaliter; cor-  
poris vero ἕτεροίως; sed propterea proprietates anima non trans-  
scribuntur corpori. Sic filius DEI resuscitans Lazarum, ἐνέρ-  
για sua omnipotentia exercet per ὁμοίως assumptæ humanita-  
tis; sed ob id ipsum quod est proprium divinitatis, non quod erat  
proprium humanitatis; in confusa enim utriusque nature pro-  
prietates perseverant. III. Propriorum officium est distin-  
guere. Ergo diversis subjectis non possunt esse communia.  
Quod enim est causa discrepantia, non est causa convenientia re-  
spectu ejusdem. Propria autem sunt illud, quo mediata res in-  
ter se distinguuntur. Ergo non possunt esse illud, quo confun-  
duntur: Essent autem, si rebus disparatis communicarentur. IV.  
Si proprietates communicantur, ipsa etiam essentia communi-  
catur. Atqui absurdum hoc posterius. V. Si propria commu-  
nicantur, communicantur aut omnia, aut nulla. Ratio. 1.  
Quia simul oriuntur, existunt & corrumpuntur. 2. Quia non  
possunt sine essentia communicari. At non omnia. Si enim cor-  
pori communicatur vita ab anima. Ergo & immortalitas, spi-  
ritualitas &c. Si ferro est communicata proprietas ignis. Ergo  
levitas & raritas. Si humana in Christo nature communicata  
est omnipotentia: Ergo & spiritualitas, aternitas, &c. At sin-  
gula hæc absurda. Ergo. VI. Atque exinde tandem inferunt,  
esse quidem communicata humanæ in Christo nature egre-  
gia & præstantiora quam angelis aut reliquis Sanctis dona;  
sed tamen humanæ nature congrua, creata, finita, circum-

B

scripta.





scripta. Calvinus passim. Beza in Colloquio Mompelg. pag. 227. Ursinus. Busæus & imprimis Bellarminus l. 3. de incarn. cap. 10. Zanchius lib. 1. de Nat. Dei cap. 1. quæst. 3. & l. 3. c. 1. quæ. 4. Admonitio Neustad. c. 1. Sadeel de veritate humanæ naturæ. fol. 154. usq; ad 160. Shonius tom. 2. art. 3. pag. 438. 445. 542. Kecker. in Syst. Log. l. 1. c. 21. pag. 184. & in Gymnas. Log. lib. 2. cap. 6. pag. 184. Timplerus in Metaphys. l. 3. c. 3. q. 13. pag. 291. Gocl. in advert. quæst. 67. Idem in parte 1. controvers. Log. l. d. & alij plures, quos nominare tædet.

Pro affirmativa, eo quo dictum est modo, stamus nos omnes, quicumque ductum Sacrosacrae Scripturae sincere secuti, & eatenus ad pias Megalandri nostri Lutheri aras Sacramentum diximus. Rationes quibus partis adversæ tela sine negotio retundimus promimus hæc. I. Nihil ad nos aculeata ista Philolophorum tela. *Neque enim nos ista principia tollimus aut negamus; sed temperamus & veluti rectæ rationis bipenni circumcidimus. Et proinde quemadmodum divinus Philosophus concludit, quædam ratione subjecti non esse calida, sed si alteri jungantur (seu per associationem) fieri calida.* l. 2. de part. ani. cap. 2. *Sic & hæc dicimus, humanæ in Christo naturæ non primò communicari Deitatis idiomata, sed secundario & interventu communicatæ  $\tau\omega\sigma\acute{\alpha}\sigma\epsilon\omega\varsigma$ : non fieri illa propria assumptæ seu exaltatæ naturæ; non ex λόγῳ essentia tanquam è suo diversorio ea migrare, ut alterius fiant comites; non exire tanquam lumen sumptum à vicinâ, ut cum Scal. hæc loquamur.* Est ibi arctissima unio:  $\sigma\upsilon\nu\delta\iota\alpha\sigma\mu\acute{o}\varsigma$  est ibi. Unde etiam veteres hujusmodi Majestatem vocant:  $\tau\omicron\nu\ \tau\omega\lambda\acute{\epsilon}\tau\omicron\nu\ \pi\epsilon\sigma\omicron\varsigma\ \chi\upsilon\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\nu\ \tau\eta\ \sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\ \epsilon\zeta\ \epsilon\nu\acute{\omega}\sigma\tau\epsilon\omega\varsigma$ . Damasc. l. 4. c. 19. *Et proinde quod non pecus non videat, nimis curiosam istam esse exceptiunculam; Hoc modo proprietates Deitatis fieri humanæ naturæ. Ad proprium enim requiritur, uti non malè olim Dd. Scholastici dicebant, ut insit*  
tām



tam primitate causa, quam primitate subjecti ( Videatur etiam Scal. exerc. 31. s. 1. ) At neutrum hinc, ut clarissime jam ostensu. Videatur Mentzerus contra Martin, pag. 147. II. Ferrum dicitur calidum, aut per se, aut per communicationem; sic & corpus humanum dicitur animatum. Non per se, Essentia enim ratione hoc illis non competit. Taurell. contra Catalp. pag. 142. Ergo per communicationem. Porro communicatio illa vel verbalis erit, vel realis: eaque vel proprii, vel accidentis communis. Verbalis non. Modus enim predicandi sequitur modum essendi. Zab. 1. de prop. necess. c. 4. q. 10. Quare cum ferrum candens verè urat, utiq; calor & vita de ipsis verè & realiter predicabitur. Neque accidentis communis est: calor enim solius ignis, vita solius anime proprium, quod εὐδηλον. Ergo propria possunt communicari. Neque hinc adversam partem quicquam juvare potest distinctio ista inter ipsas δυνάμεις & ἐνεργείας proprietates & effecta; quorum hæc communicari possint, ita ut non quidem πρώτως sed δευτέρως predicentur; illæ verò non. Ἐνεργεία enim non tollit; sed necessario presupponit δύναμιν, effecta, proprietates. Cui enim competit actus secundus, eidem etiam primus. Ergo si corpori vitam tribuis, quare etiam non vim vivendi? si ferro calorem, quare etiam non vim calefaciendi? Si filio DEI tribuis ἐνεργείαν omnipotentiam; quare etiam non ipsam omnipotentiam? Ponere enim actum secundum, nec unà actum primum dicere inclusum actui secundo, est ponere actum secundum-non actum secundum. Et valet hinc Logicorum ista regula: Cui tribuitur propria rei ἐνεργεία (operatio) eidem etiam tribuitur proprium. III. Propria non desinunt esse propria. 1 Quia non communicantur immediate sed mediante unione. Ergo per propria nihilominus possumus rem à re distinguere. Subjecto enim proprio, propria per se competunt; Alteri verò etiam realiter quidem communicantur, sed non per se, verum per aliud.



Respicit huc circumspēctus ille Philosophus Iacobus Lorhardus  
inquiens, fieri posse ut aliquid tribuatur alicui ἢ αὐτῷ; alteri au-  
tem de utriusque, nec tanquam subiecto primo, ita ut ipsi, non quia  
ipsum, sed propter aliud insit lib. de adept ver. apodict. cap. 19.  
IV. Accipimus utraque manu. Proprietates sunt communis-  
catae. Ergo ipsa essentia. Negare enim divinam essentiam  
esse communicatam, aut esse factam naturarū communio-  
nem, quid hoc aliud est, quam Samosatēni ἀνομιώντες Φύ-  
σεις? Contrarium docebit hęc ratio: *Predicatio adfirmata  
sine communicatione nulla est. Iam autem D E V S affirmatur  
de homine, & vicissim. Necesse est igitur, fiat νομιώσια natura-  
rum, quę huic enunciationi fundamentum.* Zacharias Vie-  
tor in præscript; contra Gocl. lib. 2. cap. 14. pag. 293. Ad-  
dimus tamen hoc: Quo modo proprietas communicatur, eo-  
dem modo communicatur essentia. *Eadem me hercule ratio!*  
Atqui proprietas communicatur ita, ut illius, cuius est pro-  
prietas, semper maneat proprietas: illius cui communicatur,  
nunquam fiat proprietas essentialis. Ergo etiam hoc modo  
communicatur essentia, ita ut quidem verè prædicetur de eo  
cui communicatur, non autem ipsi fiat propria. Exemplum  
de anima vide apud Iohannem Heffelbeinium in theoria Lo-  
gica cap. 5. pag. 258. V. *Illud: aut omnia propria commu-  
nicantur, aut nulla, subsequenti questione expediemus.* VI. *Non  
urgebimus classicum illud scripturę effatum; Omnis POTE-  
STAS in cœlo & in terra data est; ne illo Sole excacemus istas  
nocturnas; Hoc duntaxat dicimus: Si communicata sunt Chri-  
sto homini dona quidem sublimia, sed non infinita, tum unio  
hęc aut communicatio specie non differet ab illa unione,  
illā communicatione, illisque donis, quę angelis, aut san-  
ctis alijs vel hęc, vel in futurā gloriā communicantur. Diffe-  
rentia enim secundum magis & minus non variant speciem;  
multò minus igitur variat genus Zabar. lib. 1. de rerum Mat.  
cap. 9.*



cap. 9. *Seu ut Scaliger, Gradus non mutat essentiam*, Exerc. II. f. 4. & 269. vel ut alibi. *Plus & minus non incommodat essentia* lib. 1. de plant. pag. 122. *Ubi igitur illud ὁμολογημένως magnum Μυστήριον, quod admiratur Apostolus 1. Timoth. 3. & in quod angeli desiderant, introspicere? Plura non addam.* Sunt enim huiusmodi, ut absque scripturâ duce à nullo intellectu, aut capta, aut capienda. Quin ergo, ut questioni huic finem imponamus, maneat hoc conclusum & determinatum, nullas istas esse absurditates, nullas contradictiones, nullas omnium principiorum, omnium firmamentorum naturæ evulsiones, eradicationes, eliminationes, quas frustra hæctenus synceris nostris Theologis, & Romaenses & Cingliani objectant. Frustrâ, inquam, rumpuntur crebris istis vociferationibus de proprio non proprio, de distincto indistincto, de ipso non ipso: adeò ut mirum non sit: ipsum aërem defatigatum esse toties iteratis, & à tot continuatis impulsibus, quibus per istos confusionum, conversionum, contradictionum, exagitationum, abolitionum plusquam Stentoreos clamores hæctenus impetitus est, & adhuc impetitur. Ad alia.

#### QVÆSTIO IV.

An una proprietas possit communicari si-  
ne alterâ?

*Persolvemus hîc debitum, quo in agressâ questione nos obstrinximus. Objectum adversariorum, quos notavimus, erat tale: Uno idiomate non communicato, nec reliqua communicantur. Ergo Christo homini aut omnia Deitatis erunt communicata vel nulla. Sed non omnia. Ergo. Atque hoc illud argumentum est, quod ceu Gorgonis nodum homines isti nostris Theologis ad nauseam usque hæctenus objectant, in quo*

B 3

maximè:



maximè tripudiant & summam causam ponunt. Sed mitescite & boni; nec canite Triumphum ante victoriam! Est per DEI gratiam nobis in promptu, quo & hoc telum vestrum fortiter excipiemus, & felicissimè protelabimus. Negamus enim illud vestrum assumptum, videlicet, non omnia divinitatis idiomata carni CHRISTI esse communicata; sed cum hac limitatione: Quando de unione personali loquimur, dispensatione cuius est λόγος seu totum carni sua communicavit, certè & in λόγος omnia idiomata (λόγος enim non potest propter attributa dispensari) sunt carni Christi communicata. Verbum enim caro factum est Iohan. 1. §. 14. Et Christo homini data est πῶς ἐξουσία in caelo & in terra Matth. 28. §. 18. In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Colol. 2. §. 9. In ipso omnes thesauri sapientientiae reconditi sunt. Col. 2. §. 3. Quando autè loquimur de communicatione idiomatum, ratione ἐνεργείας, hoc est, quatenus idiomata divina, operando se in carne & per carnem exerunt, tùm non omnia, sed quaedam sunt communicata. Osiander in Enchirid. controver. cum Calvinianis pag. 138. Probamus hoc, ex fine incarnationis: λόγος enim assumpsit humanam carnem, ut possit explere officium redemptionis. Quare ea attributa, quae in munere redemptionis requiruntur, de Christo Redemptore usurpantur. Caetera non item. Nam quae sunt propria redemptionis, ea de Redemptore propriè praedicantur. Consule nunc Scripturam, quae tribuit Christo redemptori πῶς ἐξουσίαν, vivificationem, potestatem iudicandi, emundandi vim, à peccatis &c. & tamen in his attributis infinitas, aternitas, & incomprehensibilitas ita confluunt, ut vis seu potentia illa communicata carni Christi, non finita & creata; sed infinita, aeterna, increata & incomprehensibilis sit. Mentzerus contra Martiniū pag. 329. Conferatur Huanius in loco de persona Christi pag. 57. edit. Francf. Ad summam: πᾶν πλήρομα τῆς θεότητος & carni Christi verè communicatum est: ab ijs autem duntaxat



taxat ἰδιώματι denominatur, quæ in effectu dominantur. Rem  
simili illustrabimus. Inest substantia ferri non ignis modò, sed  
qualibet ejus qualitas per unionem: (Ubi enim forma essentia-  
lis, ibi manens inde qualitas) Nec tamen omnes insunt, ut sub-  
jecto inherentiæ, seu ut denominare possint. Ferrum enim cali-  
dissimum dicimus, levissimum aut subtilissimum non dicimus. I-  
tem anima facultas triplex est: Vivens, sentiens, intelligens.  
Ob illam & istam corpus appellatur sentiens & vivum: ob hanc  
non magis intelligens appellatur, quam spina sapit, digitus vè pe-  
dis: Et sic quidem inest carni Christi immensum ὡς ἰδιώματι δι-  
vinitatis: sed quia immensitas se non exerit per carnem, ideo  
nec nomen illi ponit. Hoc enim ut fiat, requiritur ἐκπεγέειν, ut  
sic loquar, impressio, quæ nominationem illam relinquat. Subtili-  
ter maximus harum controversiarum iudex Chemnitius. Æter-  
nitas, inquit, est communicata; & omnipotentia est communi-  
cata; nec tamen illa, sicuti hæc denominat. Discrimen non in  
communicatione, sed in modo communicationis est. l. de unioni:  
hypost. c. 23. At inquit: Si itaq; carni Christi communicata  
est immensitas & æternitas. Ergo efficietur hæc ratione im-  
mensa & æterna? sed nec hoc sequi, vel è naturæ regulis pla-  
num evadet. Sunt autem hæc: Non qui vis affectus receptus in  
corpus quodlibet illud afficit, sed quod est aptius natus afficere.  
Scal. exerc. 74. f. 3. Quicquid recipitur, recipitur ad modum  
recipientis, non imprimentis. Scal. exerc. 16. f. 2. Vide dispu-  
tationem nostram antegressam 4. quæst. 3. Exempli gratia:  
Anima omnibus facultatibus stipata, singulis inest membris: nec  
tamen omnia sentiunt, aut vident, ut ossa, dentes. Scal. exerc.  
291. f. 1. & c.: Sic & caro Christi recipit in se idiomatica illa nega-  
tiva, infinitatem, immensitatem, incomprehensibilitatem, ma-  
nente tamen finita, quantâ, circumscriptâ. Zacharias Viator  
lib. 2. præscript: ad Goel. cap. 14. pag. 291. Mentzerus in  
Antisadeel. pag. 26.

Proinde



Proinde ut & hanc quaestionem tandem concludamus, pro faciliore eius decisione notandum. I. Distinguendum esse inter rem & modum rei. Sic enim omnia divinitatis Idiomata carni Christi sunt communicata, sed non eodem modo. II. Proprietates posse considerari dupliciter. 1. Absolutè & in sese. 2. Respectivè, quatenus foras progrediuntur ad objecta. Priori modo proprietates mutuo complexu sese ita amplectantur, ut una non possit esse absque altera. Posteriori verò modo non item. III. Distinguendum esse inter ipsas proprietates, quarum quaedam sunt ita communicabiles, ut & aliò transmitti queant; quaedam verò non. V. G. Quaedam facultates animae ita sunt ei essentiales, ut ab eâ distingui nequeant, uti sunt spiritualitas & immortalitas; & haec sunt incommunicabiles. Quaedam verò sunt tales, ut aliò transmitti queant, quales sunt vitalis, sentiens & motrix; & haec sunt communicabiles. Videatur Franciscus Valefius de Sacra Philos: pag. 73. Iohannes Hesselbeinius in Theoria Logica pag. 265. Et tantum de presenti quaestione, ubi non immeritò cum Scaligero de causis L. L. cap. 110. exclamandum nobis. Sapientia vera vix tandem serò coelitus demissa est, vel ad hunc usque diem quanta latitant?

### QVÆSTIO V.

An propria possint ullâ vi tolli, salvâ rei essentiâ?

Sed pergimus vibrare hastam in efferatos istos Iesu Christi hostes, qui ut ipsum, Naturæ Dominum, mysterijs absconditis spolient & defraudent, veramq; ejus in terris secundum carnem præsentiam negent, omnia circumspiciunt, omnia comminiscuntur. Ecce enim milvi & vultures isti Calviniani (Fortunatus Crellio, & hunc antesignanum suum secuti gregarij isti & levis armatura



*armatura milites, Ubbius, Bilsteinius, Polanus & ejus farinae alij) ex hoc unico, blasphemum illud os suum in caelum ponentes, clangunt & obstrepunt, corpus Christi gloriosum non posse esse in terris, non posse esse in cenâ, aut in medio inimicorum suorum, quia impijs ipsorum oculis non videatur, non tangatur. Atque ex hisce ortum traxit nobilis ista, & diu multumq; vexata quaestio, inter Goclenium & Buscheros: An ullâ vi salvis rerum essentij proprietates reipsâ tolli possint? De quâ nos strictim & breviter.*

Equidem pro hujus quaestionis negativâ videntur facere omnes majorum gentium Philosophi. Sic enim Zabarella: *Proprium cum ab essentia & forma subjecti fluat, nec re, nec mente separari potest, etenim fieri non potest, ut homo non sit visibilis lib. 1. post. cap. 6. § 52. & lib. 1. de prop. necess. cap. 11. & lib. 2. cap. 15. Sic Scaliger: propria à re abesse nequeunt, cujus sint propria. Exerc. 5. sect. 6. Sic Flacius: sublatis facultatibus res amplius suum nomen obtinere nequit. Immediatè enim propria facultas essentiam sequitur, ut divelli non possit. lib. 2. Log. general. cap. 9. Sic Schegkianus: Potentia in substantijs, aut impediuntur, aut privatione penitus abolentur, quae abolitio nequit esse, aut locum habere, nisi simul etiam perimatur forma & essentia rei. lib. 1. de occult: med: fac: cap. 4. pag. 27. & lib. 5. Top. pag. 774. Sic Keckermannus. Impossibile est, propria perfecta, vel ad momentum temporis à suis subjectis separari. Quia nimirum cum proximè à formâ subjecti emanent, & verò causâ proximâ positâ, effectus ponatur, itemq; effecto sublato, causa tollatur: ideò propria perfecta separari nequeunt, quin ipsa essentia subjecti separetur; ita ut omninò proprij negatio, seu contradictorium destruat ipsum subjectum, atque adeò hoc salvum esse nequeat, si proprium absit lib. 1. Syst. Log. cap. 21. pag. 186. & innumeri alij. Atque hinc illa Theologorum: Qui tollit proprietates, tollit naturas. Theod. Dial. 3. Proprietatum,*



*prietatum deletio, est natura negatio. Vigil. in Epist. adversus  
Monotheletas. Et negans proprietates, negat naturam. Lu.  
therus lib. 3. de Concilijs.*

Nos ut supervacua plurima præcidamus, quæ quidem  
pro utraque parte quæstionis plausibiliter hîc afferri possent,  
controversiam omnem componimus. I. Distinguendo in-  
ter actum primum & secundum. Si enim potentiam & actû  
primum attendas, propria à suis subjectis tolli non possunt:  
*siquidem tam arctè ex subjectis pollulant, ut sint vel ipse res (ut  
vult Scotus) vel saltem sint in secundo momento nature. Scal.  
Exerc. 3. sect. 6 Gocl. in contro. pag 98. Atque id volunt  
ista Philosophorum pronunciata, jam magno numero prolata.*  
Sin verò spectes priorum actum secundum, omninò tol-  
li possunt, & sæpiùs sublata fuerunt. *Tametsi enim non ex-  
ercetur actus secundus, non propterea actus illius amotione tol-  
litur actus primus, qui est integer quantum in essentia fuit. Scal.  
lib. 1. de plant. pag. 120. U. G. Quando Petrus in ambula-  
bat aquis Matth. 14. § 29: non desijt esse corpus grave actu pri-  
mo; sed actus secundus fuit aliquantisper inhibitus. Sic ignis  
non urebat tres adolescentes apud Danielelem 3. § 24. ubi  
quidem potentia urendi remanebat, actu secundo saltem repres-  
so. Sic in homine muto actus secundus loquendi tollitur, poten-  
tia nihilominus manente. Necessè est enim hominem mutum  
loqui posse: sed loqui tamen non est necessè.*

*Ex quo invictè colligimus videri, contrectari, tangi non  
esse necessaria, & inseparabilia corporis adjuncta, sed potius for-  
tuitos seu contingentes & actus secundos, qui etiam communi  
nature cursu re integrâ auferri poterunt. Ratio est. 1. Adjun-  
cta præter rei substantiam accedunt: Seu actus secundi sunt  
accidentia, quæ impediri possunt. Schegkius in præd. fol.  
42. Atqui videri, sentiri, sunt actus secundi & planè acciden-  
tales; calor enim suâ naturâ visibilis est, etiamsi nunquam  
videatur.*



*videatur. Scal. exerc. 325. l. 4. Schegkius lib. 1. de Interp. lib. 4. cap. 12. & lib. 1. prior. analyt. cap. 149. Quo facit D. D. Mentzerus, quando adversus Martinium gravissimè scribit: Vocat, inquit, proprietates, quæ sunt merè accidentia, sive enim videatur & palpetur corpus Christi, sive minùs, semper manet verum corpus. Istud enim accidens, Videri & Palpari; adesse & abesse potest præter subjecti destructionem. Aliud est si loquere de corporis visibilitate & palpabilitate, ut sic mihi loqui liceat. Est enim nihilominùs corpus visibile & palpabile *δυνάμει* sive actu primo, ut maximè à nemine actu secundo, sive *ἐνεργεία* cernatur & palpetur. Mentzerus contra Martinium pag. 95. II. *Ἀχώρα* idia sunt planè necessaria. Corpus Christi semper videri ubi est, non est necessarium. Est enim necessarium, quod rem ita comitatur, ut illo absente res nec esse, nec vivere possit: & contra. Atqui actu videri sublatum est aliquoties à Christo, etià cum adhuc in mundanâ conversatione esset. U. G. invisibilis factus est, cum Nazarenus precipitare volebant eum de rupe. Luc. 4. Iudæi cum lapidare ipsum volebant in templo. Ioh. 8. Et in convivio Emahuntico *ἡ φωνὴ ἐγένετο ἀπὸ αὐτῶν*: id quod etiam ipse Timpler. fatetur, l. 4. Metaph. c. 6. q. 13. Ergo & c. III. Corpus Christi est visibile & sensibile non animalibus sive carnalibus; sed clarificatis: siquidem oportet esse aliquam proportionem inter instrumentum & objectum. Atqui oculi nostri sunt carnales, imò sumus instar noctuarum & talparum, nec valemus ferre aut intueri celestem clarificati corporis gloriam: Benè ergo Theophilactus, Cur corpus Christi non videtur? Propter nostram, inquit, infirmitatem. Breviter: Si clarificata Sanctorum corpora hoc in mundo non videntur, nisi per singularem patefactionem (Matt. 27. *Ἐγενήθησαν τὸ πνεῦμα ἁγίου ἐκ τοῦ ὕδατος καὶ τοῦ πυλῶνος*) Ergo hoc multò magis fiet in Christo corpore, quod quia unigeniti filij Dei corpus est, omnia humana transcendit. Videbim⁹ ergo nos ipsū in æternâ gloriâ, hâc mortali difficultate*

C 2

prius depo-



prius deposita, & vos etiam videbitis, qui ita eum jam pangitis!  
Confer V Volfgangum Mamphral: in Methodo de Sacra-  
mentis in Epist. dedic. Lit. D.

II. Distinguendo inter Idiomatica, quorum quaedam  
sunt συναδικα των φύσεων; quaedam sunt τα εὐφώνια seu παγε-  
πόμενα τῆ φύσει. Ex Damasc. 3. fidei c. 4. De hisce proprijs liti-  
gamus; de illis cum nemine controversamur.

III. Distinguendo inter virtutem naturalem & poten-  
tiam divinam. Illa quidem non potest sistere cursum istum, quo  
adjuncta ex subjectis quasi aperto quodam canali fluunt; hæc  
verò, nempe divina potentia, veluti non sibi, sed nature termi-  
nos posuit: sic angustis nature cancellis non debet includi, quò  
minus tunc fluxum possit sistere. Et de hoc ipso paulò post fu-  
sius acturi simus. Tu vide Zachariam Victorem l. d. pag.  
342. & seq.

#### QVÆSTIO VI.

An verbum EST quatenus συνατηγορημένον  
alicubi exponi possit Tropicè?

M. Goclenius hîc modò ait, modò negat, ut Phœdria  
ille Terentianus. Confer problemata Rhetorica Probl. 15.  
pag. 43. & colloquium istud cum doctissimo Buschero eor.  
2. pag. 177. & seq. Ei duos hosce bolos deglutiendos propi-  
namus. I. Tropus est mutatio nativæ significationis in aliã.  
Quintil. lib 8. cap. 6. Vide disp. prægress. 3. quæst. Atqui co-  
pula EST significat συνατηγορημένον. Sunt autem συνατηγορηματες  
Dialecticorum voces & particula, quæ per se nihil significant,  
sed conjuncta cum alijs per se significantib. fiunt consignificativa.  
Ergo. Vide V Volf, Mamphral. lib. d. pag. 89. II. Tropus  
est in eâ axiomatis voce, quæ certam in illa constituit partem,  
habentem vim argumenti Logici. Sed copula EST non  
consti-



constituit partem axiomatis, habentem vim argumenti Logici. Ergo copula EST non sustinet Tropum. Assumptum probamus: 1. Quod abesse potest non est pars necessaria. Ex lib. 5. Metaphys. cap. 5 § 6. Vid. quæst. præc: Atqui copula sæpè abesse potest, *quia sæpè actu non ponitur*. Fortunatus Crellius parte Com: lib. 2. pag. 108. 2. Quod per se nihil significat, non est propositionis pars. Atqui copula per se nihil significat, sed est tantum *συδέσως ἢ διαίρεσως*, id est, compositionis & divisionis nota. Schegk. in org. fol. 96. 3. Illud est pars propositionis, in quod resolvitur. Eadem enim sunt principia constitutionis & resolutionis. Scal. lib. 1. de caus. L. L. pag. 3. Atqui non in copulam, sed in solum suppositum & prædicatum propositio resolvitur, ut passim habet Philosophus. Ergo. Fonseca lib. 6. Institut. Log. c. 9. Reg. lib. 2. disquis. Log. pag. 39. Toletus ad cap. 3. lib. 1. de Interpret. 4. Ex Ramo addimus hoc: Axioma est dispositio argumenti cum argumento. Copula non est argumentum. 1. Omne argumentum aliquid necessario significat. Atqui cum dico: *Cæsar est clemens*; tùm EST non significat aliquid certi, sed est nota conjunctionis, qua clementia prædicatur de Cæsare. Scal. lib. 5. de Caus. L. L. cap. 100. 2. Si tò EST subit vicem argumenti, Propositio hæc: *Cicero est homo*, constabit tribus argumentis, quod quis concesserit? 3. Sic copula EST, argumentum erit, etiam conjunctiones (ET, AUT, SI) argumenta erunt, quod dictu ridiculum est. Nec quicquam obtinet Keckermannus, qui Toletum & Fonseca fecutus, copulam EST non quidem materiale; sed tamen formalem, hoc est, ad formam axiomatis pertinere. 1. Quia omnis Tropus est in parte materiali axiomatis. Atqui copula non est pars materialis fatentibus omnibus, Flacio, Zabarellâ, Piccolhomineo & alijs innumeris. 2. Nec quidem pars formalis copula EST, esse potest. Forma enim est argumentum imò

C 3.

pars





*pars precipua. Copula non est argumentum, nec pars precipua, quod jam demonstratum fuit. Non igitur forma. Et hoc erat demonstrandum.*

### QVÆSTIO VII.

An verum sit Physicum axioma: ἢ *Φύσις ἔδει*  
*μάτην ποιεῖ*, Natura nihil facit frustra?

Ita quidem censemus omnium rerum authorem Naturam, nihil nimis, nihil in cassum, nihil ociosè, nihil frustra; sed omnia quæcunque agit impendio, & certo quodam fine moliri. Rationes sunt in promptu. 1. Sapiens sine *movetur*. *Natura est sapientissima* Scal. exerc. 61. s. 1. *DE* Iquippè potestas ordinaria est. Exer. 359. s. 11. *Res naturales semper aut plerumq; tales fiunt*, V. G. *pluvia frequens est per hyemem; homo ab homine progeneratur*. 2. Phys. c. 9. Phil. 1. 2. Phys. II. Ut artis est finis: sic & naturæ. *Mutuo enim se & juvare & imitari extra controversiam est*. Dd. 1 d. III. Maximè quoque in animalibus rationis expertibus & plantis hoc liquet. *Aranæ telas construunt, hirundines nidum conficiunt, & alia alias alicujus finis gratiâ edunt actiones, quas humanum ingenium miratur, & nûm à mente; an alio principio ambigit: & plantæ folia tegendorum gratiâ proferunt*. D d. 1. d.

Sed tela haut levia, quibus peti posse videbimur. I. Natura non habet intellectum. Ergo nec certum finem sibi habet prestitutum, quem in agendo respiciat. 2. Quantitatis nulla est efficacia. Ergo est sine fine. 3. Si omnia fiunt propter certum finem, unde tot naturæ peccata ac defectus, videlicet monstra? Sed ad singula expedita suppetit responsio. Ad I, *Natura quamvis propriè non consultet, non intelligat, non cognoscat: tamen munere primi principij eam mirabiliter dirigentis eminentissimè intelligit & cognoscat*. Piccol. g. 5. Phil. mor. c. 5. *Quin ergo sic statuamus: Quicquid propter finem operatur,*



tur, aut finē sui effecti ex se cognoscit aut appetit, aut ab aliā  
superiore & intelligente naturā, Deo scilicet. Gocl. in contr.  
Log. p. 41. *Benè ergo.* Iustus Lipsius in epistolis posteriorib.  
Nonne, *inquit*, agunt singula atq; etiam inanima spectant &  
tangunt certum aliquem scopū? atqui nesciunt illum, nec à se  
eligunt. Tangunt igitur aliquo dirigente, qui sciat eligatq; :  
ut sagitta sponte ad scopū non pervenit, oculus est qui colli-  
neat, manus quæ impellit, sic in istis & ductorem & directorē  
habent, quem nisi Deum? Ad II. *respondet* Coll. Conn. l. 2.  
Phyl. c. 7. q. 19. a. 3. *Deus mundi quasi paterfamiliās, etsi non*  
*omnibus in mundo, quasi domo sua, agendi vim tribuit, nihil ta-*  
*men frustra condidit, nihil frustra esse finit, cum tam ea, quæ a-*  
*gunt, quàm quæ non agunt, alijs pro natura sua modo utilia sint?*  
Ad III. *Licet natura non habeat hunc finem, ut monstrū quod-*  
*dam producat; sed Eus quoddam perfectum sibiq; simile: tamen*  
*postquā natura quibusdam preventa angustijs finē istum, quem*  
*quidem intendit, nequit attingere, totam vim suam ad monstri*  
*productionem refert, existimans melius esse aliquid imperfectū.*  
*quàm nihil producere. Imò nec sic natura, non quidē per se;*  
*sed per accidēs duntaxat & quo ad pauciora impedita, ne pos-*  
*sit agere quod intendebat, prorsus sine suo frustratur.* V. G.  
*Talpæ oculos habent, verū palpebris oclusos, ut nunquā ijs uti*  
*possint; quia nempe ijs maximè conducit, ut istiusmodi oculos clau-*  
*fos habeant. 1. Quia vivunt sub terrā, quam perpetuò fodiant, u-*  
*bi nullus ob perpetuas tenebras est oculorum usus. 2. Ne aperti*  
*ledantur pulvere, in quo hoc genus animalis perpetuò versatur.*  
*Sic mulæ uterum habent, cum tamen parere non possint: quia*  
*provida natura hoc defectu utitur, ut reddantur ad onera ges-*  
*tanda fortiores. Quin ergo concludimus hanc questionem cum*  
Scaligero: *Quemadmodum sapiens hic in vitā sibi semper similis*  
*est, idem herus & servus sibi, nisi impediatur: sic & natura, quam*  
*si quis putet inconsultò quicquam agere, ridebitur ab Aristotele,*  
*explodetur à Platone, Galeni etiam jussu vapulabit.* Scal. Exerc. 68.  
L. 1. Petrus Martyr in 1. Ethic. Nicom. c. 1. pag. 27. QVÆ.



QVÆSTIO IIX.

An natura in generatione fœminarum sine  
suo frustretur?

Sic quidem ex Aristotele quàm plurimi dicunt, natu-  
ram semper in generatione marem intendere; verùm ubi est  
infirmior & præpeditior, tum eam ad fœminam gignendam  
se applicare, & eam quasi hostiam succidaneam supponere,  
*quæ Scaligeri verba sunt. lib. 2. de plant. pag. 441. Mulier,*  
*inquit Aristoteles, est quasi mas in fœminis. De generat. anim.*  
*I. cap. 20. Mulier est quadam impotentia, eò quòd semen ex*  
*ultimo alimento concoquere non possit, propter naturæ frigiditatem.*  
*Ibid: Mulier vivo deterius quid est. Idem. Magn. Moral.*  
*6. cap. 51. Et VIVES quoque hanc in sententiam ita scri-*  
*bit: Fœmina est mas imperfectus: quippè frigidior: ut ex inopia*  
*nata videatur. Hinc petulantes istæ quorundam petulan-*  
*tium ingeniorum in sexum muliebrem exclamations. I. Fœ-*  
*minam esse occasionatū quid, quod, ut Collegium Connim-*  
*bricense interpretatur, occasione magis, quàm intentione na-*  
*nuræ sit productum. 4. cap. de generat. anim. quæst. 16. a. 4.*  
*lib. 1. pag. 124. II. Fœminam esse imperfectum quid:*  
*cùm non sit postremâ hominis perfectione prædita, nec valeat sibi*  
*simile generare, cum ex sententia Aristotelis careat prolificâ ge-*  
*niturâ, & solum proli tribuat materiam. III. Monstrum*  
*esse, cum sit mas læsus; imò, cum sit fodina & antrum, una*  
*de monstra prodeunt, ob id monstrorum monstrum dici*  
*posse.*

Ad voculas hæc à sexu fœmineo depellendas; alij  
aliam insistent viam. I. D. Thomas 1. p. q. 92. art. 1. ad t. pro  
hoc sexu ita laborat: *Dicendum est, inquit, quòd per respec-*  
*tum ad naturam particularem, fœmina est aliquid deficiens,*  
*& Occasio.*



& occasionatum, quia virtus activa, quæ est in semine maris, intendit producere sibi simile perfectum secundum masculinum sexum: sed quod foemina generetur, hoc est, propter virtutis activæ debilitatem, vel propter aliquam materiæ indispositionem: vel etiam propter aliquam transmutationem ab extrinseco: ut à ventis australibus, qui sunt humidi, uti dicitur in libro de generatione animalium. Sed per comparisonem ad naturam universalem foemina non est aliquid occasionatum, sed est de intentione naturæ ad opus generationis ordinata. Intentio autem naturæ universalis dependet ex DEO, qui est universalis auctor naturæ, & ideò instituendo naturam, non solum marem, sed etiam foeminam producit. Hæc Thomas. II. Piccolomineus libro de rerum definitionibus pag. 293. docet, mulierem considerari dupliciter, vel ut hominem, vel ut foeminam. Si eam consideremus ut hominem, & consideremus attinentiam ad essentiam, eam perfectam esse, cum prædita sit animâ, speciem hominis constituyente. Si verò consideremus eam ut foeminam, tùm eam dici posse perfectam & imperfectam: Perfectam quidem, ut includit requisita in foemina. Imperfectam, dum comparatur cum mare, cuius perfectione est destituta.

III. Nos, forsan explicatiùs etiam & rectiùs, ita dicemus: 1. Negamus verum esse illud Thomæ, quòd virtus activa, quæ est in semine maris, intendat producere sibi simile perfectum, secundum masculinam sexum. Ratio est. 1. Quia simile producit sibi simile. Ergo etiam in hoc curriculo generationis ex conjunctione maris & foemina nascitur vel mas, vel foemina. Sexus enim non fluit à sexu, sed forma eadem in utroq; Gocl. in analys. in Exerc. Scal. pag. 109. 2. Neque moramur Vivis auctoritatem, quem hîc crasse & supinè locutum fuisse censemus cum Scaligero. Non enim negaverit aliquam foeminam aliquo viro calidiorem. Scal. Exerc. 131. f. 4.

II Neque ergo occasionatum quid fuerit foemina, 1. Patet hoc

D

tet hoc



ter hoc ex ijs, quæ jam dicta sunt. 2. Ex consilio Trinitatis, Creationi hominis præmisso, tam fœmina quàm masculus ad imaginem Dei creata est. Gen. 1. § 26. 3. Fœmina viro in subsidium, seu adiutorium condita est, os ex illius ossibus est, & caro ex illius carne. Gen. 2. § 24. 4. Sancta lingua virum nominat Isch, & fœminam Ischam ad oppositum viri & mulieris denotandam, Gesnerus in explicatione in Genes. pag. 59. 5. Fœmina præsertim, ut à Thomâ dictum, & jam dicitur, tam necessaria est ad speciei perpetuationem, quàm mas. Dat enim, ait Scaliger, locum & materiam: idcirco est Ens necessarium; non autem accessorium operis primarij. Scal. exerc. 131. sect. 4. pag. 455.

III, Fœmina non est imperfectum quid; sive ut hominem, sive ut fœminam consideres, nisi forsan cum mare comparaveris. Benè enim Lutherus noster: Sicut Sol, inquit, præstantior est Luna (quanquam Luna quoque sit præstantissimum corpus) Ita mulier (videlicet Eva) etsi esset pulcherrimum opus DEI, tamen non æquabat gloriam & dignitatem masculi. Lutherus in cap. 1. Genes. pag. 16. Probamus. 1. Quia includit omnia requisita tam pro homine quàm pro fœmina, uti ex Piccolomineo jam dictum. 2. Immo mas & fœmina se mutuò perficiunt. Fœmina namque propter marem est, & vicissim mas propter fœminam. Itaque alter alterius quasi finis est. Finis autem ejus rei, cujus est finis, perfectio est, ut à subtilitatum magistro non insubtiliter scribitur, Exerc. 180 f. 2. Exerc. 254. Exer. 298. f. 17. Exer. 307. f. 26. & f. 39. 3. Et fœminam quoque generationem prolis activè crepulis adjuvare, ferè plerique omnes Medici, nec non Philosophi minimè pollutis fama quàm plurimi, contra Aristotelem rationibus tuentur longè gravissimis, quæ hoc in negotio referre nobis non est ocium. Lectorem remittimus ad Collegium Connimbricense. 4. de generat. & corrup. quæst. 27. art. 1. & imprimis Goclenium in analysi exerc. Scalig. pag. 107. cum curâ & diligentia hoc pertractans



pertractantem. IV. Denique fœmina non est monstrum. Quia monstrum, ut definit VVeinrichius lib. 1. de monst. cap. 6. est erratum natura ab eo fine, quem sibi in agendo proposuit. Vel ut Piccolomineus definit, lib. de rerum definit. pag. 224. est conspicuus egressus ab ordine & lege communi, adeo ut ob novitatem admirationem aliquam pariat. Atqui 1. Fœmina non raro, sed frequenter sine admiratione nascitur. 2. Fœmina non est prater institutum natura, cum sit necessaria pro specierum conservatione, uti jam dictum fuit. Quin ergo hanc quaestionem concludemus cum B. Luchero, qui l. d. pag. 17. ita scribit: Cum fabula Iudaica (quam ex Lira recitat) convenit, quod Aristoteles appellat mulierem virum occasionatum, & alij monstrum dicunt, sed sunt ipsi monstra & monstrorum filij, qui sic calumniantur, & rident creaturam D E I, in qua ipse D E U S delectatus est, tanquam in nobilissimo opere: Item, quam videmus singulari consilio D E I conditam esse. Sed arguunt ista gentilia, quam ratio nihil possit certi de D E O & operibus D E I statuere, sed tantum rationes contra rationes fingit, neq; quicquam perfecte aut solide docet.

### QVÆSTIO IX.

An qui vult finem, velit etiam destinata ad finem?

Ea equidem est natura finis, ut sui amore & desiderio non tantum alliciat efficientem ad agendum; sed simul medijs in ipsum ordinatis bonitatem & amabilitatem conciliet. Kecker. in Syst. Log. l. 1. c. 18. pag. 168. (U. G. Quis Christianorum eò posset adduci, ut carnem suam cum concupiscentijs illius crucifigeret, seu, ut toti mundo ejusq; pravis cupiditatibus valediceret, nisi æterna salutis ac beatitudinis amore & desiderio ad id alliceretur?)

D 2

Ita



*Ita amara potio, quæ per se aduersa est, fit amabilis propter san-  
nitatem. Idcirco fieri non potest, ut qui finem appetat, non  
etiã appetat ordinata ad finem. Hinc illa Aristotelis verba  
in 3. Nicom. cap. 5. Qui vult finem, idem vult etiã destina-  
ta in finem. & contra. Similia extant 1. Nicom. cap. 1. & 3.  
Ethic. cap. 2, & apud Piccol. grad. 3. Phil. mor. cap. 18.*

Verũ & pro negante sententiã non desunt, quæ afferri  
queant. 1. *Plus enim quam impius eris, & DEVM ipsum ter  
optimum maximum, quo majus aut melius nihil quicquam ES-  
SE aut cogitari potest, peccati facies autorem, si ita dixeris:  
DEUS permisit tibi primos parentes, ut esset locus decla-  
randæ suæ misericordiæ in sacrificio mortis unigeniti filij. E.  
Lapsus ipsum voluit. Ergo homines ad illum ordinavit. I-  
tem: Oportet esse hæreses, inquit Apostolus 1. Cor. II. § 19.  
Ergo DEUS vult ipsas hæreses. 2. Plurimi hominum finem  
aliquem appetunt, cùm tamen à medijs ad finem istum ordi-  
natis toti abhorreant. U. G. *Nemo ita prodigus est æternæ suæ  
salutis & beatitudinis, ut planè eam non appetat: cùm tamen  
media ad eam ordinata non appetat, non persequatur. Sic nemo  
in studiosis est, tam projecta mentis, quin velit doctrinam & eru-  
ditionem: at pauci cupiunt perferre laborem, quibus illa compas-  
ratur. Scilicet.**

Felis amat pisces; sed aquas intrare recusat. Et Ale-  
xander de Ales. in 1. Metaphys. inquit: *Finem aliquis suum non  
prosequitur, ob duas causas, vel quia ignorat finem, vel quia  
omnia, quæ sunt ad finem, gravia & difficilia sunt.*

Pro quæstionis hujus determinatione hæc adferimus  
distinctiones. 1. Finis alius est per se; alius per accidens. Finis  
per se est, ad quem efficiens & media suã naturã ordinantur;  
Finis per accidens est, ad quem media per accidens, & non suã  
naturã ordinantur. De priori valet regula, non de posteri-  
ori. Kecker. l. d. pag. 173. U. G. *Romani volebant restaura-  
tionem.*



tionem ædificiorum Neronis incendio absumptorum; nunquã  
verò voluerunt ipsum incendium. Sic DEVS per accidens vult  
peccati fines: siquidem non ut peccatum sit, vult ejus fines, sed  
quia peccatum est, ideò vult ejus fines. Videatur Hunnius in  
in loco de Provid. pag. 54. edit V Viteb. Et ex hisce ad priora  
ista exempla facile responderi potest. II. Licet finis medijs con-  
ciliet bonitatem & amabilitatem: tamen is, qui vult finem,  
ex vi liberi arbitrij potest media vel velle, vel non velle. III.  
Qui finem ex animo & seriò expetiscit; ille non potest etiam  
media non velle. IV. Qui vult finem tanquam causam,  
vult etiam media tanquam causata & finita: Qui verò finem  
vult, ut effectum, ille non semper vult media, tanquam cau-  
sas ad effectum producendum requisitas. Timplerus lib. 3.  
Metaphys. cap. 2. probl. 40. Item in Empsychol. lib. 3. c. 7.  
probl. 12. pag. 531.

#### QVÆSTIO X.

An homo possit aliquid velle invitè & coactè,  
hoc est, An coacta voluntas sit  
aliqua voluntas?

*Decantatum & percelebratum est istud. Et coacta vo-*  
luntas est quædam voluntas. Tu certè si à *αυτῶς* hoc acceperis,  
quibus & quantis te implicabis absurditatibus? 1. Contra-  
dictio in adjecto est: *Voluntatem esse & cogi posse. Nihil, in-*  
quit Goclenius in advers. quæst. 58. pag. 245, *est in nobis,*  
*quod velle possit, quàm voluntas. Hac inclinari, moveri, flecti*  
*potest, cogi non potest. Per essentiam enim libera est. Itaque si*  
*libertas omnis ei eripiatur, abesse non potest, quin simul ejus essen-*  
*tia intereat. Tam absurdum est, voluntatem posse cogi; ac si*  
*calidum esset absque calore. Augustinus. Voluntatis nullo neces-*  
*sitatis vinculo constringitur. Schaffman. contra Piscat. lib. 1.*





de causâ peccati pag. 84. *Tam adscribi non potest voluntati ut cogatur, quam igni ut non sit calidus*, Petrus Martyr. 1. Class. 2. Loc. com. c. 14. pag. 104. II. Nihil potest homo velle, nisi quod iudicat & approbat tanquam bonum. *Iam autem omnis iudicatio, & approbatio cum sit actio interna, est spontanea & à libero hominis arbitrio pendet.* Ergo etiam omnis volitio hominis est spontanea. III. Volitio est appetitio boni cogniti, orta à liberâ ejusdem approbatione. *Coactio verò est impulsio substantiæ ad agendum aliquid à principio externo facta, contra ipsius propensionem & appetitionem.* Ergo omnis violenta & coacta actio ab homine, qui cogitur, neq; approbatur neque appetitur. IV. Unde & hoc sequitur. Si homo aliquid vult invirè & coactè, tum vult idem, respectu ejusdem, secundum idem, & ad idem, & eodem tempore approbat & appetit: & rursus improbat ac averfatur. *Consequens manifestam implicat contradictionem.* Ergo. V. Nullus libero arbitrio erit locus. 5. Nullis erit opus persuasionibus in Ecclesiâ, in Repub: in scholis, in domesticâ institutione. 6. *Etiam olim immanissimos Tyrannos, nec hodie Papam, quovis etiam Tyranno post homines natos longè truculentiorum, non posse perficere, ut subditi verum DEVM abnegent, religionem fanaticam & cultum, Idololatricum admittant, tot carceres, tot mortaria, tot tormenta, tot fornaces testantur. Sic nempe:*

Iustum & tenacem propositi virum,  
 Non civium ardor prava jubentium,  
 Non vultus instantis Tyranni  
 Mente quatit solida, neque Austera  
 Dux inquieti turbidus Adriæ,  
 Nec fulminantis magni ducis manus.  
 Si fractus illabatur orbis  
 Impavidum ferient ruinæ.

*Et huc alludunt gravissima illa axiomata in negotio religionis observanda; Fides laudari potest, cogi non potest. Item:*

Nullus



Nullus unquam fuit tam crudelis Tyrannus, qui conscientias cogere potuerit. Proinde pro quaestionis decisione notandum, voluntatem dupliciter considerari posse. 1. In se, & sic *uogias* & proprie loquendo cogi nunquam potest: id quod argumentis allatis evictum fuit. 2. Prout est complicata cum externo agente: & sic secundum quid coacta dici potest. Hinc mixtae istae actiones, de quibus agit Philosophus l. 3. Nicom: c. 1. partim dicuntur violentae, partim voluntariae. U. G. Violenta est illa actio mercatoris, quando tempestate compulsus navem mercibus exonerat, si salvus esse velit, quatenus externum principium, vim scilicet tempestatis spectemus. Voluntaria autem est, quatenus mercator hoc facit, respectu majoris boni, ut scilicet vitam conservet. Quare talis actio in re considerata dicitur invita: quia talem nemo eligeret, nisi externa vis seu necessitas impelleret. Considerata autem respectu finis, temporis, & aliarum circumstantiarum voluntaria vocatur. Licet n. voluntas plane libera non sit, quia tamen optiones habet, ut ex pluribus unum eligat, prorsus invit adici non potest. Idem sentit nobiscum Keckerm.: qui distinguit inter voluntatem, qua voluntas est, & nunquam coacte agit; & actiones hominis externas ex voluntate prodeuntes, quae cogi possunt. Keck. in praeg. Syst. Ethic. pag. 46. Arist. l. d. Goch. l. d. Donald. in Synopsi Eth. l. 2. c. 6. pag. 100. Petrus Martyr clas. 2. Loc. Com. c. 2. pag. 172. & 202.

*Ad Fridericum, D. Polycarpi F. Lyserum.*

**N**on majora queunt contingere gaudia patri,  
Quam quae de sobolis prosperitate capit.  
Et quae quisque suo studuit praestare parenti,  
Haec eadem a sera posteritate refert.  
Magnum hilaras FRIDERICE Patrem, Sic perge! Vicissim  
Tempus, ut a natis exhilareris, erit.

*Johannes Wankelius.*

*P. Prof. hist.*


**F I N I S.**



















ANNUENTE GRATIA DIVINA,  
NOBILIVM QVÆ  
STIONVM PHILOSO-  
PHICARVM  
DECAS VI.  
*Quam,*  
In illustri Academiâ VVitebergensi,  
P R Æ S I D E  
M. HENRICO VELSTENIO  
Philosophiæ Moralis Prof. publico  
*defendendam suscipiet*  
FRIDERICVS LYSERVS  
Brunopolitanus.  
Ad diem 10. August. horis locoque consuetis.  
*Scal. lib. 1. de Plant. pag. 22.*  
Nil deformius Philosopho: qui ab signis discedens à veritate  
imperatrice nostrâ, notatur ignominia.  
VVITTEBERGÆ  
Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.  
Anno M. DC. VIII.